

*Henri III désigne l'évêque de Zamora, Diego Fernandez et Ruy Bernard, pour se rendre en France et régler certains comptes.*

Ségovie, 10 juillet 1391.

Henricus Dei gracia Castelle et Legionis rex, universis et singulis presentes litteras inspecturis, salutem Notum facimus quod nos de fidelitate, circumspectione et diligencia dilectorum et fidelium nostrorum reverendi in Christo patris domini Alfonsi, episcopi Zamorensis, Didaci Fernandi, mariscalli nostri ac Roderici Bernardi, nostre audiencie auditoris, ad plenum confidentes, dictos fideles nostros, tres aut duos ipsorum, habita super hoc cum gentibus nostri consilii matura ac diligenti deliberacione, nostros ambaxiatores, actores, factores, negociorum nostrorum gestores ac indubitatos procuratores et nuncios speciales, melioribus modo et forma quibus possumus et debemus, ita quod generalitas specialitati non deroget nec e contra, facimus, constituimus, ordinamus et creamus ex nostra certa sciencia per presentes ad petendum, requirendum, recipiendum et exigendum nostro nomine et pro nobis quascumque et singulas peccuniarum summas et quantitates nobis debitas qualitercumque et ex quacumque causa seu titulo, racione vel occasione per quascumque personas tam ecclesiasticas quam seculares cujuscumque status, gradus, condicionis, dignitatis et prehemencie existant, eciam si pontificali vel regali prefulgeant dignitate, dictasque peccunias sic nobis debitas quascumque pro nobis et nostro nomine donandum, dandum, quittandum et remittendum omnino et perpetuo cum causa vel sine causa in totum vel in partem et in animam nostram juramentum et pactum de ulterius non petendo super hiis faciendum et prestandum, tractandum, componendum, transigendum, conveniendum, pasciscendum, ordinandum seu eciam transigendum circa premissa et eorum quodlibet, modo et forma quibus dictis nostris procuratoribus aut duobus ipsorum prout ipsis placuerit et fiendum videbitur expedire, eciam cum mera, generali et libera administracione premissorum; et



insuper ad habendum, petendum et recipiendum nostro nomine et pro nobis a serenissimo principe et fratre nostro carissimo Francorum rege suas confirmatorias litteras certarum treugarum per carissimum dominum et progenitorem nostrum dominum Johannem quondam Castelle, Legionis et Portugalie regem cum adversario suo Portugalie factarum et inhitarum, quarum tenorem fratri nostro predicto transmisimus, et ad nos obligandum, promittendum et in animam nostram jurandum nostro nomine pro nobis fratri nostro predicto regi Francie, quod dicte sue treugarum predictarum littere confirmatorie nobis misse, nullatenus adversario nostro Portugalie predicto tradentur aut reddentur donec ipse noster adversarius suas super dictis treugis consimiles litteras suo munitas sigillo nobis pro dicto fratre nostro aut suis gentibus ad hoc deputatis tradiderit, quas sic nobis traditas eidem fratri nostro carissimo transmittere vel gentibus suis tradere bona fide promittimus et juramus cicius quam poterimus bono modo; et quod si dictus adversarius Portugalie dictas suas treugarum litteras, ut dictum est, non tradiderit, quod nos dicto fratri nostro vel suis dictis gentibus suas confirmacionis litteras treugarum predictas transmittemus et reddemus; et generaliter ad omnia alia et singula faciendum, dicendum et procurandum que in premissis et circa premissa necessaria fuerint vel alias quomodolibet opportuna, eciam si nostram presentiam vel mandatum magis exigèrent speciale et que nosmet faceremus et facere possemus, si nos personaliter contingeret interesse in eisdem, omnes et quos cumque defectus in potestate hujusmodi habitos ex nostra certa sciencia et regia auctoritate supplentes, promittentes insuper tenore presencium in verbo regio et sub obligacione bonorum nostrorum mobilium et immobilium heredumque et successorum nostrorum quorumcumque tenere, adimplere et habere ratum, gratum atque firmum totum et quidquid per dictos tres procuratores nostros aut duos ipsorum nostro nomine et pro nobis datum, quitatum, remissum, actum, factum et conventumve fuerit in premissis et quolibet premissorum nec contra ea vel aliquod ipsorum facere vel venire nec procurare fieri per alium vel alios palam vel publice quoquomodo.

Datum Segobie, decima die julii, anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo nonagesimo primo, regni vero nostri anno primo.

YO EL REY.

(Scellé d'une bulle de plomb sur lacs de soie.)